

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta** : 2089

**Auteur(s)** : Évreux (official)

**Bénéficiaire(s)** : Eudes Rigaud, Rouen (archevêque)

**Genre d'acte** : charte

**Authenticité** : non suspect

**Datation** : 1253, novembre

**Action juridique** : autre

**Langue du texte** : latin

## Analyse

Devant l'official d'Évreux, Hémard fils de Roger fils d'Hays, de Louviers, et Pétronille, sa femme, reconnaissent avoir vendu à Eudes Rigaud, archevêque de Rouen, une maison avec grange et dépendances à Louviers, auprès de la maison des héritiers de Renout Éleyne, et de celle de Geoffroi de Rouen, moyennant deux cents livres tournois à eux payées en présence du procureur de l'archevêque.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissé, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXCVIII, p. 236-237.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Ebroicensis, salutem in Domino.

Noveritis quod Hemardus filius Rogeri filii Hays, de Locoveris, et Petronilla, ejus uxor, coram nobis in jure recognoverunt se vendidisse reverendo patri ac domino O., Dei gratia, Rothomagensi archiepiscopo, quamdam domum cum grangia et ejus pertinentiis, secundum quod se proportat in longum et in latum sitam apud Locumveris juxta domum heredum Reginaldi Eleyne, ex una parte, et juxta domum Gaufridi de Rothomago, ex alia ; et ipsum in ipsius domus cum pertinentiis corporalem possessionem induxit pro ducentis libris Turonensium ; quam pecunie summam confessi fuerunt se recepisse et integre habuisse in pecunia numerata, presente dicti patris procuratore ad hoc specialiter destinato. Renunciantes exceptioni non solute, non numerate et non habite pecunie, doli et in factum, et omni juris auxilio tam canonici quam civilis, promittentes dicto patri pro se suisque successoribus quod ipse per se vel per suos heredes vel successores litem vel controversiam non facient super premissis, immo dictam domum cum pertinentiis omnibus garantizabunt dicto patri et successoribus ejus et ab omni reclamazione ipsum in perpetuum defendent, omneque dampnum et lites et expensas, quod vel quas in judicio vel extra judicium sustinuerint vel fecerint, integre resarcient, nec contra predictas vel aliquid de predictis per se vel per alios aliquo tempore aliquid facient vel movebunt, ratione minoris precii vel aliqua alia quacumque ratione.

Promisit insuper dicta uxor, spontanea, cum coacta, ut dicebat, quod ipsa de cetero in premissis rebus, ratione dotis vel dotalicii vel quacumque alia ratione, nichil de cetero reclamabit. Et hec omnia et singula juraverunt coram nobis se firmiter observare sub pena centum marcharum argenti ad hoc bona sua presentia et futura, mobilia et immobilia, obligantes et expresse concedentes quod pena soluta vel non, venditio predicta robur obtineat firmitatis. In cujus rei testimonium, ad petitionem partium, presentibus litteris sigillum curie Ebroicensis duximus apponendum.

Actum anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tercio, mense novembris.